

nor ablatus, tamen potest defendi, ne de-
nuo auferatur, & ne iterum percutiatur:
cuilibet enim vim vi repellere licet. Si
secundum, minime potest repercutere;
sive fugiat, sive non: quia tunc non es-
set se defendere, sed vindicare; nec re-
pellere vim æqualem, sed vindictam su-
mere de vi jam illata; unde, si cessavit
percutio, cessare debet & defensio.

56. Objic. *Matth. 5.* dicitur: *Si quis
te percuterit in dexteram maxillam tuam,
præbe & alteram.* ergo percussus ne-
quit ad defendendum repercutere. R.
neg. conseq. quia aliud est perfectionis,
aliud præcepti. Verbis laudatis Christus
Dominus perfectionem docet, non præ-
ceptum imponit: nisi in animi præpara-
tione, ut teneatur in corde patientia cum
proximi benevolentia. Unde ad proban-
dum non posse occidi invasorem hono-
ris, extra chorum producit hanc autho-
ritatem quidam junior. Non enim prohibet
Dominus defensionem externam, sed
docet virtutem in corde tenendam. Ideo
esto non liceat occidere invasorem hono-
ris, autoritas tamen non est ad rem,
alias percussus non posset se defendere,
repercutiendi volentem iterare percussio-
nes, quod est falsum.

57. Inq. 5. An puellæ, vel foemine
honestæ liceat occidere violentum suę
pudicitie aggressorem? R. neg. Prob. ex
D. Aug. qui hoc videtur aperte docere
lib. 1. de liber. arbit. cap. 5. dicens:
*De pudicitia vero quis dubitaverit, quin
ea sit in ipso animo constituta, quando
quidem virtus est? Unde a violento stu-
preatore eripi nec ipsa potest. Quapropter
legem quidem (civillem) non repre-
hendo, quæ tales permittit interfici, sed
quo pacto istos defendam; qui interfici-
unt, non invenio: erg. juxta Augusti-
num non adest causa invasorem pudici-
tiæ interficiendi. Unde a fortiori repro-
batur sententia asserentium posse etiam
masculos, & meretrices occidere inva-
sores sibi vim volentes inferre: istis e-
nim nihil magni momenti eripitur; nec
periculum consensus, cum possit a no-
lente cohiberi, licitum efficit homici-
dium, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 64. ar-
tic. 5.*

58. Objic. Potest licite occidi invasor
injustus vitæ, erg. etiam pudicitie, quæ

magis æstimatur a foeminis honestis, quam
ipsa vita: R. quod sicut apud viros no-
biles æstimatur honor, & fama plus
quam vita: & tamen non licet occidere
invasorem honoris, aut fame; sic in præ-
senti est philosophandum. Nam revera ni-
hil est pretiosius vita, unde hæc omni-
bus est præferenda.

59. Teneatur igitur foemina interius,
exteriusque resistere, quantum possit
pravo invasori; at nequit illum occide-
re, nisi forte in lucta vellet invasor ip-
sam interficere: in hoc enim casu pos-
set se defendere, & si ille nollet desis-
tere, eum, se defendendo, etiam occide-
re. De cætero fidat Deo, cui fidenti-
bus castitas non eripitur, sed duplica-
tur juxta illud S. Lucæ: *Si invitam jus-
seris violari, castitas tibi duplicabitur
ad corenam.*

РУЖТУМ VII.

De occisione invasoris bonorum temporalium.

60. Inq. 1. An regulariter possit quis
occidere furem pro conservatione unitus
aurei? R. neg. constat *ex propos. 31.*
ab Innoc. XI. damnata: *Regulariter pos-
sum occidere furem pro conservatione u-
nius aurei.* Nota dici in prop. *regula-
riter*, quæ particula plurimum est ampli-
tativa injustitiarum. Verum si aureus es-
set omnino necessarius ad conservandam
vitam, posset defendi, etiam occisione
raptoris, ageretur enim tunc de vita de-
fendenda. Sed hic, & similes casus sunt
methaphisici, non practici, solum spe-
culationi deservientes. Regulariter pro
conservatione decem aureorum non licet
interficere quemquam. Sed de hoc infra.

61. Inq. 2. An possit quis occidere
raptorem divitiarum, quas sperat certo
possidere; non tamen actu possidet? R.
neg. patet ex propos. 32. ab Innoc. XI.
damnata. *Non solum licitum est defendere
defensione occisiva, quæ actu possidemus,
& quæ nos possessuros speramus. Item ex
prop. 33. ab eodem Pontifice proscrip-
ta: licitum est tam heredi, quam legatario
contra injuste impediendum, ne vel hære-
ditas adeatur, vel legata solvantur, se*

valiter defendere, sicut & jus habenti
in cathedram, vel præbendam contra eo-
rum possessionem injuste impediendum. Un-
de certum est non posse occidi raptor-
em bonorum, quæ actu non possidentur,
neque impediendum consequi ea, ad quæ
ex legato, vel alio titulo jus inchoatum
habemus.

62. Inq. 3. An possis occidere latro-
nem bonorum, quæ postea per judicem,
aut aliter recuperare vales? R. neg. quia
si per viam judicis, aut alio modo recu-
perari valent, vel datur spes ea recu-
perandi, nullatenus potes occidere furem.
Tunc enim non defenderes ea cum mo-
deramine inculpatae tutelæ, dum alia via
defendendi, aut recuperandi bona su-
perest.

63. Inq. 4. An sit licitum invasorem
occidere pro defensione bonorum tem-
poralium magni momenti, quando aliter
ea recuperari non valent? R. quod circa
hanc implexam difficultatem duplex
militat gravissima sententia, affirmati-
vam docent plures præclarissimi Thomis-
tæ, S. Antoninus, Cajetanus, Sotus,
Sylvius, Prado, quibus subscribere N.
Salm. cum pluribus aliis tam intra, quam
extra eandem scholam. Negativam tuc-
tur alii antiquiores Theologi, & Cano-
nistæ, inter quos, licet recentior, per-
doctus tamen Fagnanus ait: *Secundum
canones in foro saltem penitentiali, &
quoad Deum absolute credimus non posse
laicum sine peccato occidere spoliato-
rem, cap. interfecisti de homicid. Igitur.*

64. R. Non licere absolute occidere
furem diurnum in defensionem bonorum
temporalium, etiam magni momenti.
Prob. 1. ex cap. 22. Exodi, ubi legitur:
*Si effringens fur domum, sive suffodiens
fuerit inventus, & accepto vulnere mor-
tuus fuerit, percussor non erit reus san-
guinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homi-
cidium perpetravit, & ipse morietur.*
Hæc distinctio inter furem nocturnum, &
diurnum, quæ utitur sacro textu, plus
cæteris me adigit ad subscribendum huic
sententiæ: ideo enim impune occiditur
fur nocturnus, quia præsumitur in eo in-
tentio non solum furandi, sed, & simul
occidendi, & consequenter est aggressor
etiam vitæ. Eadem distinctio habetur in
cap. fodiens ex S. Aug. erg. non licet ab-

solute occisio furis diurni bonorum et-
iam magni momenti.

65. Confirmatur, & explicatur: Ideo
est licita furis nocturni occisio, quia ig-
noratur ejus intentio, ipse non agnosci-
tur, nec potest ita facile repelli, apprehen-
dendi, aut ad judicem accusari, quia
omnia regulariter habentur in fure diur-
no: erg. hic nequit licite occidi ob de-
fensionem rei familiaris tantum. Hæc vi-
detur sanior interpretatio dicti cap. *Inter-
fecisti*, ut ait Fagnanus ibi.

66. Dies: erg. aliquando poterit li-
cite occidi etiam fur diurnus. R. conc.
conseq. si fur diurnus gladio, aut armis
aggrediatur, vel sit ex illis, qui solent
viatores furari, ac occidere, & invadatur,
poterit æque ac nocturnus licite occidi.
Tunc enim te, tuæque defendere inten-
dis, ut dicitur laudato cap. Ideo diximus
absolute non licere, hoc est, universaliter,
quia moralia juxta circumstantias,
non universaliter accipienda sunt.

67. Prob. Secundo ratione: Vita est
superioris ordinis omni bono temporalis:
erg. injuste eripitur privata autoritate
pro bonis inferioris ordinis. Vita unus
formicæ superat in valore, & pretio om-
ne aurum, imo & omnes cælos; quanto
magis vita hominis? Patroni oppositæ
sententiæ defendunt in tract. de restit. ni-
hil esse restituendum ab homicida pro vi-
ta hominis, quia vitæ nihil est equiva-
lens. Cur ergo poterit eripi pro non equi-
valenti? Solum igitur vita pro vita eri-
pi valet, non pro his rebus, quas con-
temni oportet, ut ait D. Aug. *lib. 1. de
libert. arbit.*

68. Objic. 1. D. Thom. 2. 2. q. 64. a.
7. ad 2. explicat laudatum textum Au-
gustini de intentione directâ occidendi
invasorem: ergo intentione indirectâ, vel
defendendi bona poterit occidi. R. quod
fateri debet, ex hoc loco D. Th. sum-
psisse motivum ejus præclaros discipulos
ad judicandum S. Doctorem docuisse li-
citur esse actualem invasorem occidere
ad tuenda bona temporalia magni mo-
menti. Cui sententiæ validis rationibus,
authoribusque munitæ nequit negari proba-
bilitas tum intrinsicæ, tum extrinsecæ.
Nihilominus S. Doctor loco citato solum
agit de occisore invasoris vitæ, ut pa-
tet ex titulo articuli. Et quia S. August.

videbatur adhuc pro vitæ defensione non licere occisionem invasoris, explicat illum; debere intelligi de intentione directa, seu de occisione primario intentâ; non tamen docet licitum esse occidere invasorem pro bonis mere temporalibus tuendis.

69. Objic. 2. Potest quilibet sua bona defendere, & vim vi repellere, esto ad id necessaria sit occisio invasoris, ut patet in bello defensivo, in quo plures occiduntur; alias fures procaciores fierent sine timore, quod possent occidi: ergo R. quod quilibet potest, utique defendere sua bona; seclusa tamen occisione; hæc enim privata autoritate solum licet in defensionem propriæ vitæ. Et licet bellum defensivum sit justum cum cede plurimum, inducitur publica autoritate. Si autem fures fiant audaciores, adsunt leges justæ ad eorum punitionem, & reipublicæ incumbit eos coercere.

70. Concina in præsentem alteram sententiam vocat *theologiam modernam, crudellem, & sanguinariam*, ad esse novæ probabilistis immanis, iraculentæque commenta pugnantia cum evangelicæ caritatis lege. Sed revera sæpe excedit Concina in moderamine inculpatæ tutelæ in defensione suarum opinionum. Immerito tribuit probabilistis, aut novæ probabilistis, quæ docent antiqui, & venerandi Dominicani Cajetanus, Sotus, S. Antonius, & alii minime inter probabilistas computandi. Hic loquendi modus est sane novus, & non usitatus in republica litteraria inter doctores catholicos, qui ponderis rationis, & autoritatis suas sententias probant, & fulciunt, atque oppositis modeste satisfaciunt. Unde etiam nos, licet contrarium illi opinioni, ut conformis sacris canonibus propugnemus, agnoscimus tamen eidem tot doctorum autoritate, & gravi ratione munitæ nullam censuram, aut notam irrogari debere.

71. Inq. 5. Quanti valoris debeat esse res pro cuius defensione liceat in sententia opposita invasorem occidere? R. certum est pro conservatione unius aurei id non licere. Certum pariter est non licere pro defensione rei exiguæ, quia vita hominis non est res exigua. Loquendo vero in generali nec pro defensione de-

cem aureorum id licere asseri debet, quia decem aurei non sunt generaliter tanti valoris, ut pro eorum conservatione adimi possit vita hominis. Igitur in omni sententia res tuenda in casu questionis debet esse magni momenti, & necessaria ad statum; Si autem ignoretur intentio furis licite valet armis propulsari, & si invadat, etiam occidi. Unde omnes fatemur posse occidi furem nocturnum, quia nequit discerni, an veniat ad furandum, vel ad necandum. Similiter diurnum telo, aut armis aggredientem, quia jam infert vim, quam vi repellere licet, & minatur non solum bonis, sed etiam vitæ, quod latronibus armatis familiare est. Semper tamen prius quam ad occisionem furis etiam nocturni deveniatur, omnia alia media illum fugandi, vel ab eo se liberandi tentanda sunt.

PUNCTUM VIII.

Alia dubia circa furis occisionem.

72. Inq. 1. An possit dominus rei ablata insequi furem, eumque occidere, si præmonitus nolit eam dimittere, nec adsit spes eam postea recuperandi? R. neg. quia si in actuali aggressionem rei id non licet, multo minus in fuga licebit. Authores contrariæ opinionis affirmant, quia toto tempore fugæ est fur, in flagranti delicto, & invasionem perseverat: ergo potest dominus conari ad recuperationem rei magni valoris eodem modo, ac ad ejus conservationem. Nos vero dicimus nec pro conservatione rei magni valoris posse furem occidi in ipsa invasione, nec multo minus in casu fugæ: quia in hoc casu nec telo, aut armis se defendit, nec potest excusari directa occisio hominis pro re mere temporalis, & transitoria, quam potius expedit relinquere, ut ait Alexand. III. cap. Suscepimus, de homicid.

73. Inq. 2. An quando fur rem ablatam domi suæ, seu alibi tuto posuit, liceat illam ab eo vi auferre? R. negand. quia quando fur rem ablatam domi, aut alibi tuto habet, jam non est invasor, sed injustus detentor, ab injusto autem retentore nequit res per vim auferri, nisi a iudice; tum quia alias sequeretur per-

perturbatio juris, & reipublicæ: tum quia res pacifice retentæ jam secundum quid est detentoris; quatenus nullus, nisi iudex habet potestatem ad illam per vim auferendam.

74. Objic. 1. Si dominus vellet suam rem auferre per vim a domo furis, non posset iste resistere, aut occidere dominum: ergo hic valet eam auferre per vim. R. neg. conseq. Verum est, quod fur nequit occidere dominum volentem rem suam recuperare; tamen potest eam moderate defendere, ne alius præter iudicem eam sibi per vim auferat. Similiter, esto fur cogatur a domo sua fugere cum re ablata, nequit vi auferri a domino: quia postquam cum illa tuto se recepit, habet jus, ne sibi illa auferatur, nisi a iudice. Si autem occulte valeat eam auferre dominus, nulli facit iste injuriam.

75. Objic. 2. Qui injuste detinetur in carcere valet per vim repellere non solum primo ligantem, sed etiam in ea detinentem: ergo idem de re injuste detenta. R. neg. conseq. quia detinens injuste alterum in carcere nullum jus acquisivit in personam detentam, cum sit libera a natura; res autem non est libera, ideoque eam detinens acquirit jus secundum quid, ut ait Angelic. 2. 2. q. 66. art. 3. ad 3.

76. Inq. 3. An pro defensione vitæ, pudicitie, honoris, & honorum proximi liceat invasorem occidere? R. 1. omnes teneri ex caritate defendere vitam, & bona proximi, si absque gravi incommodo proprio valent: quia unicuique mandavit Deus de proximo suo: & quia deo ex caritate subvenire proximo in vita, aut bonis periclitanti, quando absque gravi incommodo valeo. R. 2. Principes, Magistratus, & alios Superiores ad id teneri ex iustitia: quia tenentur ex vi proprii muneris prospicere bono communi reipublicæ, & innocentem defensionem.

77. R. 3. Nemini privata autoritate esse licitum occidere invasorem vitæ, aut honorum proximi. Prob. ex canon. Si non licet 23. q. 5. ubi dicitur: *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se*

Tom. I.

ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur: ergo ne peccata peccatis velint vitari, nequit invasor vitæ alterius occidi. Nec hoc permittit aliqua lex divina, aut humana.

78. Dices: *Prov. 24. v. 11. dicitur: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses.* Pariter lex caritatis jubet defendere vitam, & bona proximi, ergo R. Verum esse nos debere pro possibili vitam, & bona proximi liberare, & defendere, quoties aliis mediis, aut viis licitis extra mortem invasoris fieri valeat, nec amplius exigitur a caritate, & a textu laudato. Verum si vita, & bona innocentis servari nequeant, nisi morte injusti aggressoris, ad nihil adstringimur. Quando non nisi peccando alicui consuli potest, tunc estimare debet homo, quid faciat non habere ait Innoc. III. in cap. 2. de novi oper. nunt. R. 4. Pro defensione honoris proximi minime licet occidere calumniam, hæc resolutio certior est præcedenti: quia ad recuperandum honorem tam proprium, quam alienum plura alia suppetunt media præter occisionem, ergo hæc non est necessaria, proindeque nec licita.

79. R. 5. Vix cogitari posse casum, in quo liceat occidere invasorem pudicitie proximi. Vix enim creditur quis adeo procax, ut invadat foeminam honestam in conspectu alterius potentis illum vulnerare, & occidere. Verum si casus contingeret, posset, & deberet defendi honestas foeminæ vi alias opprimendæ ab iniquissimo aggressore; non tamen liceret hunc occidere, quia si ipsi foeminæ vi oppressa non licet occidere; multo minus cuiquamque alteri. Quia caritas jubet defendere proximum gravi necessitate oppressum, quando absque proprio detrimento gravi id præstari valet, seclusa tamen alterius occisione. Pariter minime licet occidere uxorem, filiam, aut aliam personam, ne committat adulterium, aut aliud peccatum: quia esset directa occisio autoritate propria commissa, quæ semper, & in omni casu est illicita. Hac enim ratione maritus occidens uxorem in adulterio deprehensam peccat graviter, licet non puniatur ut homicida in foro externo, ut supra diximus.

Xxxx

PUN-

PUNCTUM IX.

De suicidio.

80. Inq. 1. Quotuplex sit suicidium, occisio, seu mutilatio? R. est duplex, *directa*, & *indirecta*. Occisio *directa* est, quando per se, & ex professo intenditur. *Indirecta* est, quando ratione alterius intenditur, aut permittitur. Sicut occisio, seu mutilatio alterius potest *directe*, & *indirecte* intendi, ut patet ex dictis; ita etiam occisio, & mutilatio propria.

81. Inq. 2. An liceat in aliquo casu se ipsum directe occidere? R. esse de fide nunquam licere se directe occidere: quia solus Deus est author vitæ, & mortis. Igitur ex quo in quinto Decalogi precepto prohibetur occisio directa alterius, potiori ratione manet prohibita occisio directa sui ipsius. Unde occidens se agit contra Deum ejus dominium usurpando; contra rationalem naturam, cui repugnat occisio propria; & contra rempublicam, cujus est pars; privat enim eam parte, quam de medio tollit, ait D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5.

82. Quare ut hæresis damnata est doctrina quorundam, qui *Circumcelliones* vocabantur in Africa, & non solum occidebant alios, sed etiam semetipsos, putantes obsequium præstare Deo. Similiter est hæresis asserere se occidere ex motivo poenitentiae propter peccata commissa esse martyrium. Illicita enim omnino est talis poenitentia, ut cernimus in Juda, potius namque est desperatio, quam vera poenitentia. Nec licet foeminae se occidere, ne ab alio corruptatur, ut ait D. Thom. loco citat.

83. Qui se deliberate occidunt, privantur sepultura ecclesiastica: *cap. final. de Sepulch.* In dubio autem, an sui composites sibi mortem consciverint, sepeliri possunt in Ecclesia, licet minori pompa ad aliorum terrorem. Pariter se tentans occidere incurrit infamiam ex jure civili.

84. Ex dictis sequitur ex nullo motivo, etiam pretextu virtutis esse licitum suicidium: qua ratione reprobatur Lucretia illa adeo ab Ethnicis celebrata;

quia cultro se occidit ob adulterium sibi illatum, ut gloriam suæ castitati pararet: in quo dupliciter erravit; quia adulterium non vitavit, & vitam misere amisit. Pariter improbantur celebratissimus Cato, & Numaantini, licet alias fortissimi contra Romanos, & alii, qui se ipsos peremerunt, ne indecora morte perirent, quod est gravissimum suicidii peccatum. Sicut etiam illud se occidendi ad evadendas miserias hujus vitæ, quod est majus malum assumere ad minus vitandum, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5.

85. Inq. 2. An suicidium sit peccatum non solum contra caritatem, sed etiam contra justitiam? R. affirm. est contra caritatem, quæ jubet propriam dilectionem, cui repugnat directe suicidium. Est contra justitiam strictam respectu Dei, cujus servus occiditur. Tandem est contra justitiam respectu reipublicæ, quæ privat sua parte, sicut si suo agro privaretur.

86. Inq. 3. An ex dispensatione, vel mandato Dei liceat se ipsum directe occidere? R. affirm. quia Deus est dominus vitæ omnium: ergo licitum est ex ejus precepto, vel inspiratione certa se ipsum, sicut & alium interficere. Ita Samsom se, & alios simul occidit, Abraham filium suum Isaac voluntate, & factio immolare incepit, S. Appollonia in rogam se injecit, Pelagia pro tuenda castitate præcipitem se dedit, & sic de aliis sanctis, qui spiritu Dei acti seipsos interemerunt. D. Thom. *ibi. ad 4.*

87. Inq. 4. An ex mandato judicis possit quis se directe occidere? R. negative: quia judex potest damnare reum, ut mortem patiat; non vero ut mortem sibi inferat. Quod verum est, etiam si ipse judex esset reus mortis: quandoquidem esto liceret ei se committere iudicio aliorum; non autem se occidere: horret hoc ipsa natura, & repugnat rationi, & legi propriæ caritatis.

88. Objic. Damnato ad mortem licet scalam ascendere, collum præbere, aperire os ad hauriendum venenum, ergo poterit etiam propriis illud sumere manibus; & sibi mortem ex mandato judicis inferre. R. duplex esse genus actionum. Aliæ proxime inferunt mortem; alia tan-

tum

tum remote ad eam concurrunt. Actiones antecedentis remote, consequentiæ vero proxime concurrunt ad mortem; ideo illas reus facere debet; istas autem apponere non potest. Unde damnatus ad fame moriendum, non potest abstinere a pane clam oblato: quia non sumendo, vitæ media ordinaria abjiceret, & consequenter sibi mortem inferret, ad quod nequit a iudice condemnari, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.

89. Inq. 5. An sit licitum se sinere a viperis morderi, aut venenum haurire, ut theriacæ vis experiri? R. neg. quia evidenti mortis periculo se exponeret. Quare hæc experimenta solum in brutis, nunquam in hominibus faciendæ sunt. Nec refert iudicium medicorum: quia ex parte illud valde fallax est, & ex alia ipsa experimenta ex se sunt periculosa. Eadem ratione illiciti sunt quidam ludi, in quibus probabile mortis periculum imminet. Ut deambulandi super funem, volvendo corpus, seque dimittendo deorsum, una manu funi affixa, & pede solo funem premente. Hi, & similes ludi periculum vitæ præferentes, uti illiciti improbari debent, & a magistratibus prohiberi.

PUNCTUM X.

De membrorum mutilatione.

90. Inq. 1. An sit licita mutilatio membrorum? R. quod eodem precepto prohibetur mutilatio membrorum, ac homicidium: quia mutilatio est homicidium parziale, vel pars homicidii: & sicut homo non est dominus vitæ, ita nec dominus membrorum, sed custos: ideo nec proprium, nec alienum membrum sanum potest directe abscindere absque peccato gravi, aut justa, & urgenti causa, ut infra patebit. Ita D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 1.

91. Objic. 1. *Matth. 4.* dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et *cap. 19.* *Sunt, qui seipsos castraverunt propter Regnum caelorum.* 2. Plures sancti linguam, nasum, oculos, & nares leguntur amputasse: vel ex motivo humilitatis, vel pro defensione castitatis, ergo licita est mutilatio

membrorum.

92. R. Textus Matthæi intelligi in sensu spirituali per remotionem impedimentorum ad Deo serviendum. Unde reprobatur factum Origenis, qui intelligendo de castratione corporali, aut de amputatione materiali membri scandalizantis, se ipsum eviravit ad servandam castitatem. In quo dupliciter erravit, quia nec textus loquitur materialiter, nec castitas consistit in membris externis. Sanctorum acta sunt laude digna, ut procedentia ex instinctu speciali Spiritus sancti; non tamen tenenda sunt ad exemplum, quia exorbitant a communi lege.

93. Igitur omnino est illicitum abscindere membrum sanum ob castitatem servandam, vel aliud quodcumque motuum virtutis. Solum membrum putridum, & totius corruptivum abscindi valet ab eo, qui ipsum habet, vel illius curam gerit; non tamen ab alio ipso invito: quia membrum est propter totum, ergo solum ab eo, qui curam totius gerit, potest illud abscindi, quando convenit toto. Unde nec ad suavitatem vocis conservandam potest quis permittere, ut castratur: & peccant graviter parentes castrantes filios: quia pro nullo emolumento temporali est licita membrorum mutilatio. D. Thom. *ibi. a. 1. ad 3.*

94. Inq. 2. An quando aliter nequit subveniri vitæ totius, nisi abscindendo membrum, possit quis membrum sanum sibi abscindere? R. 1. quod si periculum imminet a causa naturali, omnes asserunt posse abscindi: quia pars est propter totum. Unde si habens manum, aut pedem ligatum ad palmum invaderis a fera, ab incendio, vel alio periculo certo, potes abscindere membrum ligatum, ad illud evadendum; sicut etiam si vipera illum momordit, & non adsit aliud remedium salutis procurandæ, & ita de similibus.

95. R. 2. Quod etiam quando periculum imminet omnino ab extrinseco, ut si tyrannus alicui minaretur mortem, nisi linguam, aut manum propriam abscinderet, licitum est id efficere ad salvandum totum: quia homo est custos sui corporis, valetque proinde agere ea omnia, quæ ad ejus conservationem conveniunt. Hac ratione licitum est manum, aut

aut brachium exponere, ut capiti, aut toto corpori caveatur. Comburendus incendio potest se dejicere ex alta turri cum periculo fractionis pedum; imo, ut mitiorem mortem subiret.

96. Objic. Respublica nequit occidere innocentem, esto tyrannus minaretur mortem omnium: ergo nec poterit quis abscindere ob idem periculum membrum sanum, quod est innocens, & ex se nullo modo nocivum. R. neg. consequ. quia respublica solum habet administrationem politicam respectu civium, qui in se diversa jura possident; at homo habet administrationem naturalem suorum membrorum, ut de eis disponat ad utilitatem totius: quia partes non habent proprium jus, sicut cives; ideo antecedens est verum, quia teneat consequentia.

97. Inq. 3. An teneatur quis pati membri putridi abscissionem, saltem præcipiente superiori? R. quod si abscissio fieri valet absque magnis doloribus, tenetur quilibet ad eam tolerandam, quando fuerit necessaria ad vitam tuendam: quia debemus vitam conservare, etiam cum aliquo detrimento corporali. Si autem gravissimi, atrocesque dolores essent perferendi in abscissione membri, nemo tenetur ad eam patiendam: quia non est tanto dolore digna salus. Nec subditus tenetur obedire Prælati eam præcipienti: quia utpote actus valde heroicus, ob ejus ingentem difficultatem, subterfugit imperium Prælati. Nisi infirmus esset persona multum utilis bono communi; quia tunc posset superior præcipere, & teneretur subditus obedire, supposita certitudine remedii: quia ob bonum commune omnes debemus periculo mortis exponi, ac proinde dolores, etiam atroces perpeti.

PUNCTUM XI.

De suicidio indirecto.

98. Inq. 1. An aliquando liceat propriæ vitæ jacturam permittere, seu vitam non conservare, aut defendere? R. affirm. quia ob motivum virtutis potest quis permittere se mori, aut occidi: ut fecit pro nobis exemplar omnis virtutis

Christus D. qui potens se defendere, voluit ex nimia caritate mortem subire. Ejus exemplum imitati Martyres, se occidi, permisissent. Nec etiam tenetur quis ad conservandam vitam uti remediis valde pretiosis, & extraordinariis; sed tantum ordinariis, & regularibus juxta morem patriæ, & statum, facultatesque personæ.

99. Quando ab alio homine vita auferri conatur, nec ad media ordinaria apponenda pro sui conservatione tenetur, ideo se sinere occidi valet ab injusto invasore, ne illum occidat ex motivo caritatis: ut plures Martyres fecere ex motivo religionis. In casu autem injusti invasoris fugere debet, si possit, & motivum virtutis non adsit, ne prodigus sit vitæ suæ, aut cooperatur suæ neci. Hac ratione invasus a causa naturali, ut a fera, flumine, aut incendio debet fugere, & apponere media ordinaria ad suam conservationem: quia non apparet motivum aliquod virtutis, ob quod se occidi permittat.

100. Inq. 2. An foemina honesta teneatur, se sinere curari a chirurgis in partibus secretioribus? R. neg. esto ob suam pudicam resistantiam mortem certissime timeat: quia nemo tenetur admittere curationem a qua juste maxime abhorret, magisque sibi sensibilem, quam graviore dolores: ergo sicut gravissimis doloribus nemo tenetur admittere remedium, ita in præsentem. Verum esto non teneatur ad curationem admittendam; tamen eam admittere licite valet: quia ex motivo salutis honestatur. Tenetur autem quælibet se sinere curari ab aliis foemina peritis illius artis, seu curationis: quia tunc cessat horror, & pudor foemineus juste conceptus. Potest etiam quis se sinere mori ad castitatem, aut virginitatem tuendam, in quo merito laudatur S. Casimirus, qui maluit mori ob motivum castitatis, quam ducere uxorem ad mortem evadendam ex consilio medicorum. Quamvis infirmus regulariter debeat admittere omnia, quæ medici disponunt; tamen si absque magnis doloribus nequeat cibum sumere, non est afligendus: quia, ut diximus, cum tanto dolore, & angore nemo tenetur vitam conservare; & minus tantillum prolongare.

101. Inq. 3. An sit licitum per jejunia, abstinencias, vigiliis, poenitencias, aut studia vitam aliquantum abbreviare? R. 1. quod ex intentione vitæ nocendi nihil fieri potest: erit enim gravis, aut levis culpa juxta quantitatem intentionis, & nocenti illati: quia concurrere positive ad vitam breviamdam est contra quintum Decalogi præceptum; proindeque, qui illam immoderatis corporis macerationibus consumeret, esset infidelis, & imprudens administrator vitæ. Sed heu! quam pauci inveniuntur, qui in hoc prudentissimi non sint.

102. R. 2. Licitum esse, media discretione, per jejunia, & alias poenitencias, atque macerationes vitam indirecte aliquantum abbreviare: quia bonum spirituale temporali, sicut anima corpori præponderat, ergo præferri debet, & conari potest ejus assecutio, etiam cum aliquo temporali detrimento. Unde aliqui asserunt, & nos cum illis, quod potest abstinere a vino ob motivum virtutis, licet illud bibendo extenderes vitam ad decem annos ex asserto medicorum. Alii addunt non esse illicitum poenitentiis affligi, licet propterea duodecim annos vitæ amittas. Hoc dicitur de poenitentiis omnino voluntariis; nam de abstinentiis, vigiliis, jejniis, & aliis asperitatibus religiosi ex suo instituto dispositis dicimus non solum posse, sed debere observari, proindeque non posse omitti ob timorem abbreviationis vitæ; nam religio non vult fratres diu viventes, sed bene viventes. Nec monachus debet attendere ad suam complexionem, sed ad suam professionem, nec ad Galenum, sed ad Christum.

103. Idem teneas de omnibus circa abstinencias, & jejunia ecclesiastica, quæ omitti non debent ob quemlibet vanum timorem incussum partim a Diabolo, partim ab amore proprio, & partim a medicis, qui tum ex ignorantia, tum ex adulatione dicunt suis clientibus ob quemlibet prætextum, non posse in conscientia a carnibus abstinere, aut jejunare. Isti misere errant, & faciunt errare, cum intelligere deberent a sæculo non esse auditum, aliquem vitam amisisse propter observantiam præceptorum Ecclesiæ; cum certum sit ex adverso, quod mul-

ti propter crapulam perierunt. Ideo plerumque graviter peccant, qui salutem deperdunt nimis commensationibus, & potationibus indulgentes; verum vix, aut ne vix est, qui peccet abstinendo a carnibus, aut jejunando ex præcepto Ecclesiæ.

104. Inq. 4. An milites, aut nautæ in bello campali, aut navali possint licite incendere proprium fortalium, aut navem cum prævisione propriæ mortis, ne in manus hostium deveniant? R. quod regulariter non licet: quia est influere positive in propriam necem: sicut in illam influeret miles, qui ut hostem præcipitet, se simul cum eo præcipitem daret. Unde ab his factis horribilibus damno est abstinendum, nisi in aliquo casu raro, in quo bono communi ita fieri expediens judicetur.

105. Inq. 5. An foemina ob metum mortis ab invasore pudicitiae incussum possit negative se habendo permittere congressum? Nota, quod dupliciter potest foemina pati violentiam: vel ita, quod nequeat se movere, aut ullo modo conari ad defensionem, & hæc dicitur *compulsio*. Vel ita, quod esto inclinatur ad actum, non tamen cogitur, sed ipsa illum eligit, ut mortem evadat, & dicitur *impulsio*. Hinc R. 1. foeminam potius debere subire mortem, quam interius consentire congressum iniquum: hoc apud omnes est certum: quia vitæ corporali præferri debet spiritualis, quæ per culpam gravem amittitur.

106. R. 2. Quod si foemina patitur absolutam compulsionem, & interius dissentit, nulla adest culpa, sed potius corona juxta dicta num. 59.

107. R. 3. Foeminam impulsam metu mortis peccare graviter, si positive pro viribus non resistat, & motibus, aut alio modo non conetur se positive defendere: quia alias voluntarie permittit actum libidinosum: nam ex una parte voluntas interius non patitur violentiam; ex alia eligit congressum ad fugiendam mortem, ergo voluntarie illum eligit: metus quippe gravis non tollit voluntarium simpliciter.

108. Objic. Non datur peccatum absque consensu, sed in præsentem supponitur non dari consensum: ergo non datur

tur peccatum. R. quod esto foemina non habeat consensum formalem, illum habet interpretativum, dum libere ad mortem vitandam omittit exteriorem repulsionem. Pro praxi observent Confessarii sepe foeminas dicere se fuisse compulsas, quibus nullatenus est credendum: non enim faciunt, quod debent, & interpretative consentiunt in pluribus actionibus, a quibus, sicut a facie colubri fugere debent, & permittere potius se occidi, quam turpiter tangi, imitantes S. Susannam.

P U N C T U M XII.

De homicidio casuali.

109. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit homicidium casuale, & in quo differat ab indirecto? R. homicidium casuale illud esse, quod fit præter intentionem occidentis: in quo differt ab indirecto, hoc enim intenditur in se, licet non propter se, casuale vero non intenditur, sed casu accidit. Nam casus est *causa agens præter intentionem*. Dupliciter autem potest aliquid esse casuale, seu præter intentionem. Primo in se, & in sua causa. Secundo in se, non tamen in sua causa: Ideo etiam homicidium dupliciter potest dici casuale: 1. quando nec in se, nec in sua causa est voluntarium, nec prævisum, & hoc non est peccatum: quia nullo modo est voluntarium; nec potest dici proprie homicidium, sed *occisio casualis hominis*. 2. quando licet non sit voluntarium in se; tamen aliquo modo est voluntarium in sua causa; & proindeque peccatum, & *homicidium casuale* proprie dicitur: ut si quis reparans domum tegulam projicit, quin transeuntes moneat, hominem occidit, homicidium casuale committit: quia fuit illi voluntarium; debuit enim clamare, & non fecit. Unde Lamech, quia non posuit debitam diligentiam ad vitandum homicidium in venatione, fuit reus homicidii. *Genes. 4.*

110. Inq. 2. Quot modis contingere possit homicidium casuale? R. dupliciter, nempe vel dando operam rei illicitæ, vel licitæ: Si homicidium casuale contingat incumbendo rei licitæ, & alias adhibita fuit sufficiens diligentia, ne sequeretur, non erit peccatum: quia non est volun-

tarium in se, nec in sua causa: nemo enim tenetur omittere actionem licitam propter periculum remotum damni alterius: unde si reficiens domum posuit sufficientem diligentiam clamando, vel aliter monendo transeuntes, non peccat, esto sequatur occisio hominis. Ita D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8.

111. Circa homicidium casuale, quod dando operam rei illicitæ contingit, dicendum est 1. quod quando opus taliter est periculosum, ut ex eo committere homicidium sequatur, est reus homicidii casualis tale opus exercens: quia idem est velle tale opus, ac velle homicidium fere semper cum eo connexum; ergo esto diligentia ad illum vitandum apponatur, semper est voluntarium ei, qui tale opus libere exercet. Unde, qui sciens mulierem esse gravidam, eam percuteret, vel subito terrefaceret, & ex his abortus sequeretur, homicidium casuale committeret. Similiter parentes secum infantes in lecto introducentes, esto diligentiam videantur apponere, ne suffocentur, si tamen eveniat suffocatio, homicida sunt. Pariter ludentes, seu exercentes ludos periculosos, ut jacere lapides funda, & similes.

112. Aliqui sentiunt, quod dans operam rei illicitæ taliter periculose, ut non fere semper, sed aliquando sequatur occisio hominis, si sufficientem adhibeat diligentiam, ne eveniat, non est reus homicidii, esto casualiter accidat: quia tale homicidium non est volitum in se; alias nec in sua causa, cum sufficientem diligentiam adhibetur ad illud precavendum, ergo non est peccatum, nec homicidium. Unde clericus ferarum venationem exercens, ex qua sequitur casu occisio hominis, esto peccet contra præceptum Ecclesiæ id vetans, non est reus homicidii, si vere sufficientem diligentiam ad periculum vitandum apposuit. Sed probabilis est oppositum, ut in tractatu de irregularitate asseritur.

113. Dicendum est 2. quod dans operam rei illicitæ, quæ nullam connexionem habet cum homicidio, etiamsi inde præter intentionem operantis sequatur, non est reus homicidii: quia illa res, esto illicita, non est inductiva homicidii: ergo si ex illius positione sequatur mors,

erit

interficiens Christianos, nominarentur *assassini*; tamen communi acceptione jam receptum est dici etiam assassinos, quicumque pecunia, aliove pretio conducti Christianos occidunt.

117. Hoc peccatum est atrocissimum, gravissimum, inhumanum, & crudele, & enormissimum. Quia ratione poenis gravissimis merito punitur. In primis enim, qui Christianos per assassinos occidere mandaverit, (etiam occisione non secuta) aut receperit, vel defenderit, aut occultaverit assassinos, ipso facto poenas excommunicationis, & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrit. Deinde tamquam Christianæ religionis emulus a toto Christiano populo cum suis bonis mundanis ban-nitus, & diffidatus existit. Eisdem poenis subjacet mandatarius, seu conductus. Ex jure autem civili puniuntur assassini, ita ut ad equi caudam rapentur, postea furca suspendantur, & tandem eorum corpus in quatuor partes scindatur.

118. Inq. 2. An in confessione aperienda sit necessario circumstantia homicidii per assassinum commissi, aut alia circa modum homicidii? R. Notando dari homicidium *simplex*, & homicidium *qualificatum*. *Simplex* est, quod committitur in hominem privatum absque aliqua circumstantia ex parte occisi, aut modi occidendi. *Qualificatum* dicitur, quod præter hominis occisionem præfert aliquam circumstantiam mutantem speciem. Circumstantiæ autem mutantem speciem in homicidio sunt, 1. *Quid*, ut si occisus esset Rex, Princeps, aut alius superior, vel pater, aut consanguineus usque ad quartum gradum, vel clericus, aut monachus, vel quilibet persona Deo sacra-ta. 2. *Ubi*, ut si occidatur in loco sacro, aut Romam peregrinando. 3. *Quibus auxiliis*, ut si occisio fiat per alium, in quo adest peccatum scandalum. 4. *Quo modo*, ut si occidatur ex insidiis, unde sibi cavere non possit; præcipue si fiat prætextu fictæ amicitiae, quo pacto est homicidium proditorium. Ad hoc etiam reducitur illud, quod fit veneno propinato, & abortus foetus animati: vel si fiat simul inhonorando, vel peculiari sævitia, ut eruendo viscera, vel quid simile.

P U N C T U M XIII.

De homicidio per assassinos perpetrato.

116. Inq. 1. Qui dicantur assassini? R. quod assassini dicuntur illi, qui accepta pecunia, vel propter aliam rem pretio æstimabilem homines occidunt. Et licet primitus in jure canonico Gentiles

119. Igitur omnes istæ circumstantiæ, & si quæ aliæ hujusmodi inveniantur in homicidio, debent expresse fateri in confessione. Unde cum assassinatus afferat saltem circumstantiam scandali, explicari etiam debet. Verum reliquæ circumstantiæ mere physice distinctæ, ut si fuit pugno, ferro, lapide, aut fuste, & similes impertinentes sunt ad confessionem.

PUNCTUM XIV.

De taurorum agitatione.

120. Inq. 1. An taurorum agitatio, prout in Hispania exercetur, jure naturali sit prohibita? R. neg. quia eo modo, quo in Hispania exercetur, raro evenit mors hominis propter sufficientem cautelam, quæ adhibetur pro ea vitanda; & si aliquando evenit, est per accidens; ergo non est intrinsece mala, nec jure naturali prohibita. Quod plene probat agitatio taurorum sæpe habita in ipsa urbe Romana annis nuper præteritis, invitatis ad eam lussoribus Hispanis, qui Romæ aderant. Verum si aliquis non dexteritate, & agilitate Hispanica polens, aut sciolus, vel nimis audax tauris se objiciat, peccabit graviter; quia evidenti periculo mortis se exponit.

121. Inq. 2. an jure ecclesiastico sit prohibita taurorum agitatio? R. quod est Pius V. sub gravibus poenis taurorum agitationem prohibuerit, tamen Gregor. XIII. & Clemens VIII. eam pro sæcularibus permiserunt, sublatis poenis, & sub duplici conditione; nempe, ne fiat in die festo, & provideatur per eos, ad quos spectat, ne alicujus mors sequatur, unde servata hac duplici conditione licita est in Hispania taurorum agitatio sæcularibus. Clericis autem, licet prohibetur agitatio, permittitur assistentia. Eos tamen S. Pontifex hortatur, ut a simili spectaculo abstineant, memores dig-

nitatis, & officii, quo funguntur, ne aliquid ab eo alienum exequantur.

122. Inq. 3. an peccent graviter regulares, qui taurorum agitationi assistunt? R. affirmative: quia agunt contra præceptum absolute eis impositum in materia gravi. Non comprehenduntur in hac prohibitione Equites ordinum Militarium, qui vere religiosi non sint: quia Clem. VIII. a prohibitione eos exceptit. Excommunicatio regularibus præfatæ agitationi assistentibus imposita probabilius non est lata, sed ferenda.

123. Inq. 4. An regularibus sit prohibita assistentia ad vitulorum agitationem? R. neg. quia prohibitio tantum est de congressu cum tauris, aut de eorum agitatione: sed vituli nomine taurorum non intelliguntur: sicut nec pueri nomine senum, aut agni nomine arietum: nam juxta varietatem ætatis variatur nomen ei respondens: ergo non est prohibita ejusmodi assistentia. Maxime quia in hac agitatione est valde remotum periculum de morte alicujus. Nec similiter peccant graviter regulares e fenestris propriæ domus, aut transeunter ex alio loco tauros agitari videntes: quia hoc non est assistere eorum agitationi. Peccant tamen si ex aliqua circi fenestra, esto per cancellos, aut occulte, etiam secluso omni periculo mortis assisterent: quia prohibitio est absoluta, & absolute debet observari.

124. Inq. 5. An extra Hispaniam sit licita taurorum agitatio? R. neg. tum, quia moderatio, & permissio Gregorii XIII. & Clementis VIII. solum est pro sæcularibus, & clericis, qui in Regnis Hispaniarum commorantur: ergo extra illa servanda est Constitutio Pii V. prohibens penitus taurorum agitationem. Tum quia exteri, vel quia natura graves, vel in agitatione inexpertes, agilitate, & dexteritate Hispanica carent: ergo maximo mortis periculo se exponerent.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE SEXTO, ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

Aggredimur sextum, & nonum Decalogi præceptum explanandum, optantes puro calamo res non puras discutere; sequentes D. Thomam, qui licet puritate Angelus, hæc ad communem utilitatem disputare non omisit. 2. 2. q. 153. & 154. & alibi.

CAPUT I.

De castitate.

Prior locus debetur virtuti, quam vitio; ideo prius volumus agere de castitate; deinde acturi de vitii ei oppositis, & in sexto præcepto prohibitis.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio castitatis.

1. Inq. 1. Quid in sexto Decalogi præcepto prohibetur? R. expresse solum adulterium prohibetur juxta illud Exodus 20. 15. Non machaberis, quod clarius explicatur in cap. 5. 20. Deuter. Non concupisces uxorem proximi tui. Machia enim est vox græca, quæ proprie adulterium sonat. Implicite vero prohibetur omnis delectatio carnalis, omnis species luxuriæ, omnisque actus internus, & externus extra matrimonium habitus. Præcipitur ergo nobis in sexto Decalogi præcepto, quod simus casti, & mundi cogitatione, verbo, & opere. Prohibetur autem expresse adulterium, quia alia, quæ inferuntur in personam conjunctam, & maxime per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio, ait D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 6. ad 2.

2. Inq. 2. Quid sit castitas? R. Castitas, quæ a castigando dicitur, potest sumi, vel improprie, vel proprie. Castitas improprie, vel lato modo significat puritatem animi ab omni amore inordinato, & ab omni labe peccati: in quo

Tom. I.

sensu dixit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 11. Respondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Id est nullo peccato inquinatam. Hæc dicitur castitas spiritualis.

3. Castitas autem proprie sumpta est virtus moralis, quæ moderatur voluptates carnis. Dividitur in virginalem, conjugalem, & vidualem. Virginialis est, quæ cohibet omnem voluptatem, etiam licitam carnis. Conjugalis est, quæ moderatur voluptates illicitas carnis. Vidualis, quæ moderatur voluptates carnis post mortem alterius conjugis, vel post licitam, aut illicitam copulam. Quicumque enim virginatatem licite, vel illicite amisit, solum potest habere castitatem vidualem proprie, aut large sumptam. Divisio hæc castitatis non est generis in species, sed ejusdem virtutis in diversos gradus: quia castitas conjugalis, & vidualis non addunt speciem, seu perfectionem specificam ad castitatem communem, quæ proinde specificè solum differt a virginali, & hæc dicitur castitas perfecta, illa vero imperfecta.

4. Inq. 3. Quid sit virginitas? R. est integritas carnis cum proposito eam conservandi perpetuo à carnali libidine expertem. Tria in virginitateveniuntur. Primum, integritas signaculi virginalis, a qua integritate appellatur virginitas, tamquam virens, dictum a virore adustionem libidinis minime experto. Secundum, immunitas a delectatione, quæ consistit in seminis resolutione. Tertium, propositum perpetuo abstinendi ab omni carnali delectatione. Primum se habet per accidens, secundum de materiali, tertium autem pro formali. Ex quibus bonitas diffinitionis traditæ apparet: nam virginitas duo necessario exigit, nempe carnis integritatem ut materiam, & propositum perpetuum ut formam, sed hæc duo in prædicta definitione explicantur, ergo recta est.

5. Nota autem, quod triplex potest

Tzzz

da-